3

SPECIMEN ACADEMICUM

INAUGURALE,

SISTENS

THESES ALIQUOT MEDICAS,

Quas, annuente Summo Numine,
Rector magnificus

MEINARDUS SIMON DU PUI,

A.L.M. Med. et Phil. Doct. Chir. Pract. et Art. Obſtetr.
nec non Collegii Practico-Medici Prof. Ordin.

Ampliſſimo Senatu Academico conſentiente, et ex Decreto Nobiliſſimae Facultatis Medicae,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

rite ac legitime conſequendis.

Eruditorum Examini ſubmittere permiſit

JOHANNI WALKER,

ANGLO.

Ad diem XXX. *Julii* MDCCXCIX. *H. L. Q. S.*

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31934730

Johannes Walker, Gullielmo Saunders ſuo primo in arte Medica Præceptori.

Cogites forſan, cogitent quoque Collegae tui, docentes artem Medicam in aedibus à Thoma Guy fundatis, Gullielmus Babington nempe & Johannes Haighton; nec non Henricus Cline, & Aſtley Paſton Cooper in Noſocomio Sancti Thomae ſic dicto, docentes, fautores omnes mei; cogitent Conſocii ſocietatum Medicarum & Phyſicarum Noſocomiorum Guyii & Bartholomaei, Amici omnes cum multis aliis, quibus hoc qualecunque Specimen offerre mihi animus eſt, meum fuiſſe officium majorem inauguralem Diſſertationem producere, quoniam opportunitas frequens multa audiendi & videndi mihi contigerat, tum Domi tum in diverſis terrae tractibus, ubi cum Ariſtippo, in naufragio tranſvecto in Littora incognita & recognoſcenti in arena mathematicarum figurarum lineas non exclamo—"Bene "ſperemus: nam veſtigia hominum video"—ſed potius atteſtor peregrinans—"Homines vidi & beneficia accepi "& gratificationes percepi."

Britanni venite & videte;—nam timeo, quicunque fructus Religionis, Philoſophiae, Artium, Commercii, &c. continue advenerint in inſulas veſtras, quacunque ab orbis parte, ne plerique veſtrum longius manſiſſetis, quam ego remanſi, ſeparati ab hominum mundo, per praejudicium domicilii et partium ſtudium, ſicuti ſolum noſtrum natale ab continenti ſeparatur per maris undas.

At ad apologiam redire me oportet.

Mi Praeceptor! Occupatus deinde fui, ut producerem Diſſertationem de Phyſiologia et Pathologia Menſtruationis: ſed cum ad tale argumentum, fere nihil niſi quaſdam aliorum obſervationes conflare potuiſſem, tunc idea mihi in mentem venit de neceſſitate cavitatum contractilium inter truncos venoſos & cordis ventriculos & uſu ſinuum venoſorum in encephalo cum rebus aliis. Ad Diſſertationem Inauguralem hanc parandum multos dies, heb-

domades, nec non menſes conſumſi, ſed tempus, quo Theſes Inaugurales offerendae mihi erant, cum nimium breve eſſet eam relinquere coactus fui.

Celerrime ergo Theſes aliquot in lucem edere coactus fui, quas hoc momento in mentem mihi venerunt, nam antea quid offerre plane inconſultum mihi fuit. Ecce nunc productionem tot horarum, quot annos ſolum natale reliqui.

Quamquam morbo Helvetico (Noſtalgia) affectus non ſum, ſpero fore, ut cito ad vos redeam. Vale.

Datum Lugd. Bat. 29. vij. 1799.

Rectori et Senatui Academiae Lugduno-Batavorum.

Memoriam veſtrae benignitatis, qui *religionem* honore habuiſtis ſpero ſupra omnem laudem gratificationem ſemper praebituram. Nam me in veſtra univerſitate promovendum, mores quaſdam antiquas (etsi pluribus ſacras mihi tamen opinionibus obstatas) ad obſervandum me cogere nunquam *conati fuiſtis.*

J. W.

Rotterodami, 6. viii. 1799.

SPECIMEN ACADEMICUM

INAUGURALE,

SISTENS

THESES ALIQUOT MEDICAS.

CIRCULATIO IMPERTURBATA.

1. Oportet ventriculorum cordis dextrum propellere ſanguinem per ſyſtema pulmonale.

2. Oportet ventriculum ſiniſtrum propellere eum per ſyſtema majus vaſorum ſanguiferorum—partes tenuiores ejus per vaſa ſeroſa & exhalantia—& partes mutatas, fortaſſe, per ductus excretorios organorum ſecernentium.

3. Neceſſe eſt quod ventriculi ſiniſtri contractiones fortiores ſint dextri.

4. Sanguis carbonatus non tantum ſtimulat, quantum oxygenatus.

5. Sanguis, qui in ſinum & ventriculum dextrum accipitur, maxime eſt carbonatus.

6. Qui in ſiniſtrum accipitur, maxime eſt oxygenatus.

7. In circulatione imperturbata ventriculus cordis ſiniſter plus ſtimulatur a ſanguine quam dexter.

CIRCULATIO ACCELERATA.

8. PER preſſionem muſculoſam contra venas ſanguis, tranſiens a loco preſſionis ad cor, acceleratur in ejus motu.

9. Hoc cordis dilatationem producit.

10. Dilatatione fit ejus actio intenſior.

11. Per preſſionem muſculoſam contra venas ſanguis, veniens a corde ad locum preſſionis, impeditur in ejus curſu.

12. Valvulae in venas impediunt reactionis propagationem ad inſignem diſtantiam rotrogradam.

13. Ab interruptione ad locum preſſionis, & a vi a tergo, ſanguis per vaſa anaſtomotica in venas cutaneas tranſire cogitur.

14. Non multum ſubjecta ſunt vaſa cutanea preſſioni muſculari.

15. Acceleratur circulatio univerſalis.

16. Accelerantur functiones.

17. Sanguis perdit oxygenium velocius ſyſtemate majore.

18. Et velocius carboniſatur.

19. Corporis calor augetur.

20. Ut utriuſque ventriculi ſanguis differat, carbonium debet abduci illo tempore, quo pellitur per pulmones, nempe ab uno ventriculo ad alterum,

21. Et oxygenium debet adduci majori velocitate, quam ſi tranſeat rapiditate minori.

22. Acceleratur reſpiratio.

23. In circulatione accelerata plus ſtimulatur ventriculus ſiniſter quam dexter.

VITA MUTABILIS.

24. SUNT fibrae viventes, quae ad actionem ſtimulantur.

25. Fibrae animales mortuae non habent aptitudinem motus.

26. Quod, quum accidat per corporis extranei contactum, effectus eſt attractionis chemicae; quod ſi autem actio quaecunque mechan ica ceſſet agere in illas, omnis actio illarum inde emergens effectus eſt vis mortuae cujuscunque praeter actionem quae repetenda ab illarum ſtructura organica.

27. Sine motibus internis, niſi quae ad decompoſitionem ducunt, manet corporis organiſatio poſtquam abiit illa vita, quae ſtructuram producebat & quae in eo reſidebat unice per motus eos, qui in ſtructuram illam locum habebant a momento eo, quo initium mutuum habebat, ut loquimur, vita corporis cum organiſatione ejus.

28. Ab applicatione cauſarum morboſarum ad corpora viventia excitatur principium vitale, ut hoſtem vitae repellat per actionem organicam incitatam

29. Si vis repellens excedat aut deficiat; in utroque caſu, effectus nocivus eſt.

30. Vis repellens adeo deficere poteſt, ut cauſa morboſa mortem inferat per repreſſionem actionis vitalis.

31. Ita excedere poteſt vis repellens, ut deſtruat ſtructuram organicam adeoque actionem vitalem.

32. Sine qua actione vitali, non locum habet vita, in ullo corpore organico.

33. Per ipſam actionem vitalem tandem deſtruuntur omnia corpora organica, niſi occiſa ſint per hoſtem extraneum.

ARS MEDICA.

38. Officium eſt medici remedia contrarium effectum cauſarum morbi producentia adhibere, quibus cauſae morboſae, ſive ſtimulantes ſive ſedativae, amoveri queant. Tum tranſit ſaepe ad ſanitatis ſtatum aegrotans.

35. Perfectio artis medicae conſiſtit in efficiendo quod effectus remedii & cauſae morboſae invicem deleantur.

36. Adminiſtratio remediornm contra cauſas morboſas, ſi non adſint, eſt nihil niſi applicatio cauſae morboſae.

37. Ut remedia feliciter adhibeantur neceſſe eſt, ut diſtinctionem facere diſcatur inter ſymptomata, quae demon-

ſtrant mutationes actionum vitalium, quae tendunt ſanitatem producere, & ea quae oſtendunt mutationes, quae eam nocent aut nocere tendunt.

38. Haec diſtinctio fundamentum medicae artis eſt.

39. Perfectiſſima ſanitas locum habet ſi adeſt fortiſſima actio vitalis, quam ſuſtentare poteſt corpus organicum, ſine ejus inevitabili deſtructione accelerata.

40. Gaudet in vita, eo tempore, creatura.

41. Ars medica utilis eſſe poteſt.

TANTUM.

Printed at Edinburgh by T. Maccliesh & Co.